

† R. P. Desideratus Castelain (1863–1934)

(*Prov. Paris.*)

Die 17 Iunii 1934, B. M. V. de Perpetuo Succursu sacro, Bononiae ad mare fere subito e vivis discessit R. P. Desideratus Castelain, genuinus S. Alfonsi et Congregationis filius, qui Provinciae Parisiensi recens fundatae primus praefuerat et usque ad extremum halitum laboribus omnibus apostolicae nostrae vocationi propriis indefessus incubuerat. Eum benignissima Mater Succursus Perpetui, quam amanter colebat, ad praemium vocavit, et Cor Iesu Eucharisticum, de quo tam fuse scripsit et locutus est, ei pretiosissimam contulit gratiam celebrandi usque ad supremum diem sacrosanctum Missae sacrificium.

Oriundus ex Quesnoy-sur-Deule, civitate et paroecia christianissima dioeceseos, tunc Cameracensis, nunc Insulensis, d. 1 Oct. 1863, statim sacro baptismate regeneratus est Desideratus, apprime desideratus, siquidem pii parentes iam sex infantes perdiderant; sed hic puer ad longiorem viam currendam aptus apparuit.

Vix septimum attigit annum, cum pater labore fractus mortem occubuit; quare mater sollicita, volando ad novas nuptias, orphano alterum patrem dedit novosque fratres, qui omnes Desideratum dilexerunt, ut diligebantur. Inter eos igitur crescebat et confortabatur. Sacras caeremonias in ecclesia visas imitari in deliciis habebat, et comitante quodam sodali, qui interim mortuus est Iesuita, officia et processiones instituebat, quibus nec contiones deerant. A zelanti vicario Latinae linguae elementis imbutus, anno 1875 Seminarium minus Cameracense adiit, ubi statim et

pietate et diligentia inter multos emicabat. Absoluto horum studiorum curriculo, cum Superiores ecclesiastici eum idoneum iudicarent, qui Seminario Universitatis Catholicae Insulis fundatae aggregaretur, ibi per duos annos sacrae theologiae totis viribus se applicuit, atque si palmas academicas colligere non valuit, saltem amicos invenit pretiosissimos, inter

quos Ill̄mos ac Rev̄mos Quillet et Cholet, ad episcopatum postea evectos.

Interea pii clerici ad Alfonsianum apostolatum vocatio maturassebat. Iam a. 1874 prima germina emerserant in missione, quam in Quesnoy praedicaverunt RR. PP. Stoufflet et George. Iuvenatum nostrum libenter ingressus esset Desideratus, si mater licentiam tune dedisset; tamen probatae vocationi a. 1883 assensit. Itaque seminarista noster ab Ordinario Cameracensi veniam postulavit Congregationem SS. Red. ingrediendi; verum Superiores ecclesiastici eam ante concedere noluerunt quam exacto in celebri collegio Marq-en-Bareul trium annorum professoratu. Quod tamen tempus post novas preces abbreviatum est, et d. 24 Sept. 1886 Desideratus Redemptoristicum suscepit habitum. Eius vota anno sequenti R. P. Mathias Raus recepit, tunc temporis Praefectus studentium Provinciae Gallicae. Novus clericus tum studendi ardore, tum virili pietate, tum facili cum omnibus tractandi indeole emicuit. Sacerdos ordinatus d. 5 Oct. 1890, statim Lector philosophiae factus est. Postea in Thury-en-Valois historiam ecclesiasticam, dogmaticam theologiam et eloquentiam sacram docuit. His in munieribus adeptus est *loquendi gratiam copiosam* et in omni sacrarum scientiarum genere proficit, ita ut fieret *ad omnes opus bonum instructus*.

Ineunte mense Maio 1898 R. P. Castelain Rector communitatis Insulensis nominatus est. Statim novum instituit iuvenatum in suburbio S. Mauritii prope Insulas et nascenti in Armentières monasterio Monialium SS. Redemptoris opem tulit vere paternam. At biennio nondum expleto ei dictum est: *Ascende superius!*



In huius saeculi limine e magna Provincia Gallico-Helvetica (a. 1898 sodales 660 habebat) ortae sunt tam Lugdunensis quam Parisiensis Provincia, cui posteriori P. Castelain a. 1900 praepositus est, in Antony prope Lutetiam Parisiorum residens. Spectatis circumstantiis ei gravissimum imponebatur onus; instabat enim illa luctuosae memoriae procella contra familias religiosas ab hostili et massomico gubernio suscitata. Anceps haerens, sollicitaretne dolosam « auctorisationem » legalem, de qua disputabatur, Romam profectus est. Redux illam petivit, ultimus e Superioribus Parisiensibus, et exspectans exspectavit. Hora nefanda, qua per legem ius in communi vivendi nostratibus ablatum est, P. Provincialis coram Santiissimo longas effudit preces, auditurus sane: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.*

Sed quo terrarum iuvenes, novitios, studentes transportare? In tanta angustia caritatem vere fraternalm Provinciarum Anglicae et Belgicae grato animo expertus, iuvenatum in Rumillies, novitiatum in Glimes, studentatum in Bishop Eton (Liverpool) in tuto posuit. Ita eum sua in Providentiam spes non fefellit, et Dei manum quasi visibilem non semel se adoravisse testatus est.

In hoc temporum discrime visitationem etiam instituit Vice-Provincialiae, quae tunc temporis tribus domibus constabat, nempe Riobamba et Cuenca in Republica Aequatoris et Buga in Columbia, ac quinque mensibus afuit a Gallia.

Quot ruinas redux invenit! Plures cōmunitates dispersas, ceteras omnes dispersioni proximas, Patres perquisitionibus vexatos, in ius vocatos, immo carceri obnoxios. Sed antequam P. Provincialis proficisceretur, aliquot domos refugii Galliae proximos disposuerat in Mouscron, unde Patres missionarii ad labores apostolicos, secessus praesertim, proficiscebantur. Qui autem relict sunt in Gallia, bini vel terni degebant sub diversis tectis et pro posse observabant ea, quae a Regula iubentur, neque ad hoc defuerunt Patris Provincialis visitationes et exhortationes. Studentatum a. 1907 a Bishop Eton Angliae in Esschen Belgii et a. 1911 inde in Valkenburg seu Fauquemont Hollandiae transtulit.

A. 1909 Capitulo generali interfuit, in quo, post demissionem Rñi P. Raus, electus est Rñus P. Patritius Murray, quem Deus diu sospitem servet. P. Castelain non sine valetudinis detimento per duodecim annos viriliter sustinuerat pondus provincialatus, et iam morbo exercebatur quem vocant diabeten; itaque a. 1912 in munere Provincialis Pl. R. P. Riblier successorem accepit.

Nominatus Rector domus studentatus, quam in Fauquemont fundaverat, novo cum ardore apostolicis laboribus se tradidit, ita ut intra duos annos tradendis 2 missionibus, 13 secessibus sacerdotalibus, 11 secessibus religiosis et multis contionibus sufficerit. Versus urbem Nancy iter faciebat

ad tradenda sacerdotibus exercitia, quando, ut fulgur, immane bellum mense Augusto 1914 apparuit. Valkenburgum regressus et igneo muro a Gallia separatus, domum invenit vacuam; nam studentes eorumque Praefectus ad militiam convocati erant.

Bello perdurante, in Hollandia quasi captivus, praedicavit 55 secessus, quorum 13 ad religiosos aut religiosas, et 176 contiones. Domi totum sese orationi et scriptio dedit, quin unquam temporis momentum perderet. Exaravit tractatum theologicum *De cultu Eucharistici Cordis Iesu*, omnibus numeris absolutum. A. 1919, denuo factus Rector Insulensis, dispersos confratres in amplam domum, vitae regulari aptissimam, congregavit. A. 1921 praefuit secundo novitiati. Fuit Rector Dunikerae per sex annos, et Rector Bononiae ad mare usque ad a. 1933, et inde in caelum evolavit.

Vir vere apostolicus, mente lucidissima, tenaci memoria, voce sonora, praestanti statura praeditus erat ac praesertim zelo igneo, qui nunquam dicit: « Sufficit ». Solida doctrina eminebat et loquendi facilitate haud ordinaria, ita ut, ipso testante, praedicatione nunquam defatigaretur. Praedicavit missiones 69, quarum plures in ecclesiis cathedralibus, 54 secessus sacerdotiales, 116 secessus religiosorum, 134 labores secundarios et innumeros panegyricos aliosque sermones, ubique S. Alfonso et Congregationi honorem concilians.

Calamo etiam apostolico scripsit complures secessus: *Retraite sur le Cœur Eucharistique*, *A l'école du Sacré Cœur de Jésus*, *A l'école de la Sainte Vierge*. Evulgavit etiam opusculum *Les retraites populaires* et nonnullas relationes in Congressibus Eucharisticis Internationalibus habitas; nam aggregatus erat consilio, quod vocant *Comité permanent des Congrès Eucharistiques Internationaux*.

Tot opera externa animabat vita interior et unio cum Deo. Observantiae regularis observator et apostolus, animi sui semper compos, constans in propositis apparuit, et in ultimo secessu suo tremula manu adhuc scripsit: « Sanctus fieri volo ». Rectori suo dictitabat: « Hominum felicissimus ego sum ».

A. 1923 iam eum monuerat prima congestio et a. 1932 secunda, quae oculos debilitaverat, ita ut sibi procurarit indulatum caecutientibus proprium ad celebrandam Missam de Beata. Nuper cuidam Sanctimoniali dixerat: « Audio in corde meo sonum mortis ». Nihilominus mense Iunio sese alacer ad missionem disponebat, quam in Le Quesnoy daturus erat, ac d. 15 Iunii de SS. Corde Eucharistico fervidum in nostra ecclesia sermonem habuit.

Die tandem 17 eiusdem mensis pie et incunde, ut decebat, recreacionem meridianam transegerat. Versus horam 17 a quadam Sanctimoniali ad confessionale arcessitus est. Frustra eum Frater Sacrista quaequivit in cubiculo, in bibliotheca, in sacello, et subito de balneariis cogitavit adeundis.

Pulsanti et interroganti Pater respondet gemitibus. Statim Frater aperit ianuam et videt Patrem frustra conantem egredi e balneario balbutientemque aliqua verba. Decumbenti accurrens A. R. P. Rector extremam unctionem et benedictionem apostolicam impertit, et paulo post P. Castelain inter suggestas orationes iaculatorias animam Deo reddit. Arcensisitus per telephonium medicus nonnisi cadaver invenit. Hora erat 18. Brevi post in ecclesiam confluebant fideles contionem audituri et benedictionem SS. Sacramenti recepturi. Absoluta functione P. Rector tristem eventum significavit et cum stupefactis fidelibus pro defuncto Patre oravit, sed pro cantico finali erumpabant lacrymae ab omnium oculis, immo ex cordibus.

Pompa funebri d. 20 Iunii totus clerus civitatis aderat. Complures Missae pro defuncto variis in ecclesiis cantatae sunt cum assistentia dignitatum ecclesiasticarum. Unusquisque missionarium indefessum, S. Alfonsi eximum filium celebrabat, et nos omnes dilectum confratrem celebramus, quem Dominus Iesus Apostolorum choris adnumeret!